



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

C. Marii Villa Qvae postea Luculli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

gnum Anneius Seneca docet epistola LII. ad Lucilium villas suas in regione Baiana summis montium iugis imposuisse, potiusque castra eas fuisse, quàm villas. Videbatur enim, inquit, hoc magis militare ex edito speculari longè lateq; subiecta,

C. MARIIVILLA QVAE
postea Luculli.

DE Marij villa suffragatur idem ferè Plinius libro XVIII. cap. VI. Posuit, inquit, in Misenesi villam C. Marius septies consul, sed peritiam castrametandi: sic ut comparatos ei ceteros etiam Sulla Felix cecos fuisse diceret. Hanc à Lucullo possessam, & ampliatam fuisse diximus, & Miseno proximam, quâ classis portum spectat.

C. Caesaris autem dictatoris villa supra Baias in monte fuit, quod ex Taciti verbis colligimus, qui XVI. Annalium scribit Agrippinam occiso Nerone tandem domesticorum cura lenem accepisse tumultum, viam Miseni propter, & villam Caesaris dictatoris, quæ subiectos sinus editissima prospectabat. Et visuntur adhuc eius insignia fundamenta supra templum Veneris, cuius ruinae suum vetus nomen adhuc retinent.

Magni Pompeij villam locant in monte tertio inter Avernum & vicinum sudatorium Tritulinum: aiuntque restare cognominis vestigia in loco, & repertam ibidem olim esse Pompeij Magni statuam.

M. CICERONIS ACADEMIA VILLA.

AT M. Ciceronis vbi fuerit villa scriptis eius immortalis, quam velut Musarum suarum sedem sæpius laudat: nobis veluti digito demonstrat Plinius libro XXXI. cap. ij. occurrisse videlicet illam ab Averno lacu Puteolos tendentibus